



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Repente quid & insperato factum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A L L I U M.  
MILITIA. CAP. VI.Allium &  
cape cibum  
militaris

Vnum tantum ex allio hieroglyphicum inveni, ut per id militiam intelligamus, propterea quod & allium & cape cibum esse militarem constat. Atque hinc proverbium apud Suidam, *Ne parallium, neq; fabas esitandas sis, qui tranquillum sibi vitæ statum proposuere*, per summotum allium bellica negotia dimittenda, per fabas civilia non attingenda; quæ latius in Fabæ Cômmentario explicationem. Sed quod ad militarem cibum attinet, Aristophanes, Equitibus, milites memorat, qui cœmptis allio & capis naves incendissent. Et chorus jam antea Allantopolam incitans, dixerat: *Vt in allium strenue magis pugnes*. Neq; rem tantum bellicam adjuvat allium, sed rusticæ etiam opem affert. Siquidem, ut Africanus ait, oleum in quo allium contritum fuerit, mire prodest vitibus eo obunctis, ne pediculus gignant, & absq; oleo tritum oblitumq; arborum truncis, ne ab erucis infestentur, opitulatur.

R A P U M.  
SOL. CAP. VII.

A pud Ægyptios sacerdotes veluti cape Lunæ, ita rapum Solis erat hieroglyphicum, nominibusque alterum, & alterum suis dedicabatur: corpus enim rapi solidum immutabilem Solis effigiem refert: veluti cape, ut dicebamus, multiplicis illa tam multiformis tunicarum, Lunæ varietate ostendit. Sane authores sunt, rapum è plumbo dicatum olim fuisse in templo Apollinis Delphici, quod Phœbei corporis soliditatem ostenderet.

## F U N G U S. CAP. VIII.

E T fungus nescio quid sapit hieroglyphicum, qui tametsi apud Ægyptios quos sequimur, nusquam apparet, apud Græcos tamen & Latinos non illepedo celebratur significato.

## REPENTE QUID ET INSPERATO FACTUM. CAP. IX.

N Am id præcipuum fuit, estq; adhuc apud omnes hieroglyphicum fungi, ut quotiens novi aliquid præter expectationem repente factum apparuerit. Fungum id dicemus. Poetas quippe Funginos, Oratores, Historicos, Philosophos, Jurisconsultos, unius tridui studio autoritatem adeptos, & quæ plurima sub Leone X. Pont. Max. miracula vidimus, non esse una præstantes aliquot, tanquam in Parnasso somniassent, haberi ceptos, eoq; processum temeritatis, ut ex iis nonnulli milites etiam sibi compararint, qui non applaudentibus mortem minitantur.

Quin & ar  
te eduntur  
quolibet te  
pore fungi.  
Martian. in  
Diose. li. 4.  
c. 78.

*At rerum natura parens nil edere magnum,  
Spectandumque solet, longo nisi tempore, adultum,  
Ipsa etiam majora suos animalia partus  
Iussa diu gestare: decem bos Lucia per annos  
Parturit, ingentem prolem paritura, vitensque  
Dentis ebur, decora ampla virum, decora ampla Deorum.*

Sed ut ad fungos revertamur, proverbium est, quod de re subitanea & insperata fertur in primis, non esse una fungum nasci. Quare apud Dionem legas, Trajani vita, fungum quendam magnum in Decabalibus castris à barbaris circumlatum, Latinis etiam literis inscriptum. Literas non ponit auctor, sed ex iis quæ subsecuta sunt, manifeste percipitur, admonitionis aliquid id fuisse, cavendum scilicet Trajano, ne ferantistamq; ferocibus copiis committeret: repente enim oriri solere, quod nemo unquam expectasset. Quod ut existimem id admonet, quod in exercitu vociferationes etiam exaudiebantur à brutis præcipue, atq; aliis gentibus cum Romanis societate cunctis, Trajanum ad pacem hortantibus, & ut talibus rebus reiso domum abiret admonentibus.

FATUL.